

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1538

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

415

I O I C O D I C E S H

416

CCXLVIII.

U. 23

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 315. f. per quinque columnas luculente exaratus, rubricis distinctus, olimque *Joannis Alexandri Brassicanus philosophi ac Jure Consulti*, ut ait Folium prae- vium, et ipsa Theca exterior literis I. A. B. impressis testatur, dein a. 1540. emtus pro Collegio suo ad D. *Nicolaum a Job. Fabro* egregio illo *Vienn. Episcopo*, est speciosum Exemplar *Concordantiarum Biblicarum* ita ordinatarum, ut post quamvis vocem continuo citentur Scripturae loca, quibus vox illa habetur. Initium absque Prae loquio, ut in Codice praecedenti, quocum ejusdem rationis est. Finis in *Zorobabel. Subjectum minio: Explicium concordantie minores*. Primitivas has esse ab *Hugone de S. Caro* in Conventu FF. Praed. ad D. *Jacobum Parisiis* Sec. XIII. medio elaboratas bene docetur in *Biblioth. Scriptt. Ord. T. I.* p. 203. dicique ideo minores, quod citationes solum, non vero particulas ipsius sacri Textus exhibant, quas particulas cum Sodales quidam *Angli* postea adderent, eorum *Concordantiae Majores* five *Anglica* dici coepere.

CCXLIX.

R. 3242

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 392. 8. non una manu, nitide tamen perscriptus, rubro enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindob.* in Theca antica intus manu Sec. XV. insigni-

tus est: *Allegatorium aureum super omnes textus Noui veterisque testamenti*. Pertinet vero ad illud Adjumentorum genus, quod *Concordantias Biblicas* adpellamus, et procedit ordine alphabetico non per omnes, sed praecipuas Dictiones biblicas, quarum usum sub uno conspectu ponit citatis Libris, eorumque Capitibus. Init ita: *Abominatio*. Luc. XVI. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus*. Deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Math. XXIII. Cum uideritis abominationem desola. &c. Prov. XV. *Abominatio est domino uita impia* &c. Sequitur *Abicere. Abscondere. Abstinere. Accedere. &c.* et ut plurimum verba, pauciora nomina. Postremum est *Zelus*, post quod pro Litera A. subplentur *Angelus* et *Anima*. Utilis aevo suo Verbi divini Praedicatoribus Opera, ut erant *Hugonis a S. Caro Concordantiae*, *Petri Berchorii Reportorium*, *Ant. de Rampegollis Figurae Biblicae*, *Nic. de Hanapis Exempla Biblica &c.*

CCL.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 750 XV. Folior. 78. f. per duas columnas exaratus est Versio noti Libri dicti *Consolatio Peccatorum*, five *Processus Luciferi contra Iesum*, seu denique *Belial*, quem exeunte Sec. XIV. ut *Processus judiciarii* formam aliquo schemate declararet, commentus est *Jacobus de Anchurano*, five *Tberamo Archi-*